

commensurationem ad locum ad spiritus, qui carent aliqua commensuratione, et subiectione ad locum, quia carent partibus, et quantitate, quæ sola commensuratur loco, et ratione illius oportet quod partes loci non prætermittantur totaliter a motu, qui fit per commensurationem ad locum. Certe nullus dubitat posse Deum non solum substantiam spiritualem, sed etiam corporalem de extremo ad extremum transferre non attingendo medium, sicut per conversionem panis in corpus Christi id facit ponendo illud modo spiritali. Cur ergo repugnabit quod hoc ipsum sit connaturale Angelo, qui independens est a quantitate, et commensuratione ad locum? Obligatio autem, et necessitas transeundi semper per medium oritur ex commensuratione partium ipsius mobilis cum ipso spatio. Ubi autem non commensuratur cum partibus spatii, nec dependet ab illis, cessat ista ratio, et obligatio transeundi per medium.

Secundo, alii recurrunt ad institutum divinum, qui sic disposuit hoc universum, ut nihil transeat de extremo ad extremum nisi per medium. Cæterum si ista institutio est ex solo beneplacito, et voluntate divina oportet illam aliquo testimonio ostendere. Si autem est juxta exigentiam naturæ rerum, petitur principium: de hoc enim quærimus cur hoc repugnet naturæ spiritali.

Tertio, alii id fundant in inconvenienti, quia alias darentur duo instantia immediata, scilicet instans, quo Angelus est in isto loco, et instans, quo sine motu continuo invenitur in alio. Cæterum hoc nullum est inconveniens, quia motus discretus est ille qui componitur ex pluribus instantibus, id est, operationibus indivisibilibus, (indivisibilitate se tenente ex parte operantis, non ex

parte rei operatæ) immediate inter se conjunctis. Si enim inter ista instantia, quibus componitur motus discretus, daretur aliquod medium divisibile, quod non esset instans, sed tempus, talis motus, et operatio aut esset divisibilis, si in se, et ex parte operationis continuitatem illam haberet, vel saltem non esset motus discretus, quia continuum spatium tangeret, vel continuum effectum haberet, quæ sunt capita ex quibus desumitur ratio motus continui, ut distinguitur a discreto. Cum autem Angelus moveatur, et tangat loca ratione virtutis, et operationis applicativæ ad locum, clarum est quod si attingit plura loca non continuata inter se, quod necesse est contactus ipsos discontinuari, et consequenter operationes, quia contactus operationes sunt. Quod si discontinuantur operationes, quia plures sunt, et una sequitur immediate post aliam, hoc ipsum est dare plura instantia angelica immediata, quia ista instantia, nihil aliud sunt quam operationes indivisibiles, ut ex parte Angeli se tenent.

Quarto, alii putant hoc esse commune substantiæ corporeæ, et spiritali, quia etiam substantia nudata quantitate, si moveretur, deberet transire per medium, et similiter corpus Christi in sacramento si non esset conjunctum speciebus, et moveretur, transiret per medium: ergo etiam videtur id convenire substantiæ spiritali, ut si moveatur, debeat transire per medium. Cæterum hæc exempla neque in se certa sunt, neque consequentiam illam inferunt. Non sunt in se certa, quia corpus sine quantitate, vel sine extensione ad locum, ut est corpus Christi in eucharistia, non est mobile motu corporeo, et extenso, quia non est commensurabile loco. Unde si moveretur, esset alio genere motus, quam per commensurationem ad

locum, et talis motus non apparet quod necessitaretur fieri transeundo per medium, eo quod esset motus independens a loco; et sic assumitur aliquid valde dubium, quando dicitur quod talia corpora deberent transire per medium, si quidem vel non moverentur, remota quantitate (motu scilicet extenso, et commensurato ad locum) vel si moverentur, deberent moveri motu ab omni extensione, et commensuratione loci libero. Qui hoc ipso non dependeret a transitu per medium. Non infertur autem consequentia prædicta: quo dato quod corpora remota quantitate non possint transire ad extremum nisi per medium, hoc ideo est, quia non sunt immaterialia, nec per modum agentis immaterialis uniuntur corpori, et tangunt illud, sed per modum cujusdam contactus substantialis antecedentis omnem operationem, et talis substantia non habet principium mutandi loca ita independenter, quod possit tangere extrema non contactis mediis, eo quod corporea substantia est, et licet non commensuratur quantitative loco, non tamen est superior illo, neque continet illum, et sic non est omnino independens ab illo. At vero substantia spiritalis habet contactum omnino independentem ab ipsis locis, quia ejus operatio est pure spiritalis, et ordinata ad perficiendum locum sine ulla commensuratione, et subiectione ad ipsum. Unde non cogitur operationem suam diffundere, et inchoare secundum continuationem ipsius corporis, sed secundum applicationem suæ virtutis ubicumque voluerit, eo quod ad applicandam suam virtutem neque dependet a dispositione loci, neque a commensuratione ejus erga se; et ideo potest applicare corpori quod sibi placuerit sine dependentia ab ejus legibus, et commensuratione: sicut si anima rationalis ha-

beret vim informandi diversa corpora, prout essent disposita, posset transire ad aliud corpus dispositum ad sui informationem, sine hoc quod corpora intermedia informaret. Quod autem facit anima tamquam forma informans, agit Angelus tamquam forma activa, non minus independens a quantitate, et extensione loci in sui applicatione, quam anima in sui informatione, quæ solum dependeret a dispositione corporis, ad hoc ut illi uniretur. Angelus autem nullam aliam exigit dispositionem quam suæ activitatis applicationem per voluntatem, et quod corpus sit mobile ab ipso.

XIV. Tandem p. Suarez ubi supra illa ratione innititur quia difficillime percipitur a nobis quod aliquid mutetur de extremo ad extremum, et non per medium: ergo licet non ostendatur in hoc aperta repugnantia, videtur tamen superare modum naturalem cujuscumque creaturæ, præsertim quia alias posset Angelus in infinitum spatium se transferre si semel non dependet a medio. Cæterum hoc non est declarare repugnantiam, sed difficultati succumbere; et in istis spiritalibus in quibus oportet maxime abstrahi a sensu, et imaginatione velle hanc impossibilitatem regulare penes id quod in sensibus, et in re corporali impossibile judicatur, valde constricti, et infirmi animi est: non enim minus difficulter apprehenditur unum corpus indivisibiliter poni sub pluribus speciebus, sicut fides docet in corpore Christi, aut etiam unum corpus divisibiliter esse in pluribus locis, sicut ipsemet Suarez concedit; et tamen non propterea hoc judicatur repugnans, quia difficile. Cur ergo judicabitur repugnans quod Angelus ex sua spiritalitate connaturaliter habeat non dependere a transitu per medium, quod corpus potest habere superna-

turaliter, si quidem spiritus naturaliter non dependet a commensuratione corporis, sicut dependet corpus: ergo quod corpus supernaturaliter accipit, potest Angelus conaturaliter habere. Quod vero dicitur posse sic Angelum ad infinitum spatium se transferre, dico non esse inconueniens quod transferat se ad spiritum infinitum syncategorematicè, id est, quolibet signato possit ad majus: de facto tamen, et categorématique nunquam transfertur ad infinitum, quia nec datur corpus infinite distans, nec infinitum vacuum sub certam intentionem cadit.

XV. Quare cum opposita sententia nullam efficaciam repugnantiae adducat ad probandum quod non possit Angelus transire de extremo ad extremum, nisi per medium, dicendum est quod potest Angelus sic moveri motu discreto, sine hoc quod pertranseat per aliquod medium, quodcumque illud sit, sive communicans, sive non communicans, sive intra suam sphaeram, sive extra. Est expressa sententia S. Thomæ, nam in ista quæstione, art. II inquit, quod: « Moveri de extremo in extremum, et non per medium, potest conuenire Angelo: » et in I, dist. XXXVII, q. IV, a. II: « Angelus, inquit, potest transire de loco in locum, ita quod transeat omnia media, et potest esse quod transeat de loco in locum sine hoc quod sit in aliquo mediorum. » Et idem habet in primo ad Annibaldum dist. XXXVII, quæst. II, art. I ad IV et quodlib. I, art. V, ubi inquit, quod: « Angelus, si vult, potest moveri de uno extremo ad aliud, absque hoc quod pertranseat medium. » Unde patet quod quando D. Thomas admittit motum Angeli posse esse continuum, et discretum ut in hac quæstione LIII, art. I et II, et dist. XXXVII citata, q. IV, art. I et alibi sæpe, non solum loquitur de dis-

cretione ex parte durationis, sed etiam ex parte loci, seu medii, ut in præfatis verbis videmus. Et ita, ut supra diximus, D. Thomam communiter sequuntur ejus discipuli, aliique theologi quos citant Carmelitani Salmanticenses tract. de Angelis, disp. III, dub. V.

XVI. Ratio autem, et fundamentum hujus sententiæ potest sumi, tum a priori, tum a posteriori. A priori quidem perpetuo D. Thomas illam ponit rationem, quia Angelus non est in loco per contactum quantitativum, qui commensuretur loco, vel ab eo dependeat, sed potest unico, et indivisibili modo, et æque primo comparari ad plures partes corporis: sicut enim anima rationalis comparatur ad corpus, quod informat indivisibili modo, et æque primo assistens totali corpori, et similiter corpus Christi speciebus panis, ita Angelus, qui est forma activa spiritualis respectu corporum potest uniri alicui corpori, et partibus ejus, æque primo, et indivisibili quodam modo propter spiritualitatem suam, qua superior est extensione corporis, circa quod operatur. Ergo ad deserendum illud corpus, et conjungendum se alteri, non obligatur prius conjungi partibus immediatis, et deinde remotioribus, sed potest æque primo, et indivisibili modo totum istum locum deserere, et alteri uniri; alioquin non indivisibili modo se conjungeret corpori, si non posset pluribus partibus corporis simul, et unica indivisibili præsentia, seu contactu se conjungere: ergo potest Angelus independentem a partibus intermediis alicui corpori extremo se conjungere. Probatur consequentia, quia si semel habet Angelus talem vim præsentia quod potest simultanee, et indivisibili modo pluribus partibus corporis se applicare, non tenetur paulatim partes spatii acquirere, et

alias deserere: ergo potest simul totum spatium quod occupat deserere, et simul, id est, indivisibili quodam modo totum aliud acquirere. Si autem semel potest omnes partes quas occupat simul, et indivisibiliter deserere, nihil illi obstat quominus possit etiam simul, et indivisibiliter totum spatium simul acquirere, et illi adesse. Tuuc autem quando deserit totum locum quem occupat nullo modo est ligatus, vel dependens ab illis partibus immediatis, et conjunctis loco, quem antea occupabat: ergo potest præsentiam suam adhibere partibus, seu spatio distanti, et non conjuncto illi, quem antea occupabat. Unde enim talis obligatio provenit Angelo, si nullo modo continetur ab hoc, nec subjacet illi, sed potest indivisibiliter, et simul totum locum quem habebat deserere aut occupare?

Et confirmatur, quia operatio Angeli qua habet contactum ad corpus ita libera est, quod potest a quacumque parte universi inchoare suam operationem, et super quodcumque corpus habet potestatem, ut illi se applicet, non quidem tamquam forma informans, sed tamquam forma agens, et præcipue, quia est agens omni corpore superior, et nulli alligatum determinate, et sine extensione illi commensurata: ergo Angelus qui habet contactum ad unam partem spatii, quia ex illa inchoat operationem suam, potest a tali operatione omnino cessare, et inchoare suam operationem a corpore distanti, et non ab intermedio, quia sua virtute non vult, aut non potest aliquid operari circa corpus intermedium: ergo hoc ipso quod substantia spiritualis Angeli est forma activa, ita elevata, et libera, quod potest a quacumque parte corporis in hoc universo suam inchoare operationem, et illi se conjungere, tamquam passo, et materia

ex qua operetur, neque ad hoc indiget dispositione corporali ex parte materiae, sed virtutis suæ applicatione, poterit etiam se movere ad quodcumque corpus distans independentem ab intermediis, quia non semper vult applicare suam virtutem corporibus intermediis, et motus Angeli fit secundum diversam applicationem suæ virtutis ad corpus ex quo operatur, non per dependentiam, et commensurationem ad illud corpus.

XVII. A posteriori autem sumitur ratio hujus motus discreti in Angelo independentem a spatio intermedio, ex aliquibus effectibus, vel exemplis, quibus id explicatur. Primo, nam Angelus occupans totam magnitudinem suæ sphaeræ, potest in minori se ponere, et alias partes relinquere, et e converso existens in minori parte potest in tota sua sphaera se ponere: hoc autem non facit Angelus per contractionem aut dilatationem suæ substantiæ, sed per indivisibilem contactum suæ præsentia, quo potest indivisibili modo nunc plures, nunc pauciores partes suæ sphaeræ tangere. Ergo in retrahendo, vel dilatando suæ substantiæ præsentiam non dependet a partibus intermediis, alias non posset unico, et indivisibili modo ab illis partibus se retrahere, vel ad illas extendi, nisi prius partes intermedias paulatim ingrederetur, vel egrederetur, quando minus spatium occupat ab illo quod antea occupabat, vel e contra. Quod tamen magnum inconueniens est, quia sicut Angelus potest in aliqua sphaera suæ magnitudinis simul, et indivisibili modo poni, ita potest ad minorem locum se retrahere, non per partes spatii se retrahendo, sed simul unica, et indivisibili præsentia minori loco assistendo, et reliquas partes omittendo. Ergo eodem modo poterit Angelus diversum locum oc-

cupare, omittendo omnia loca intermedia, quia si non dependet in retrahendo se, et occupando minorem locum a partibus intermediis, nec etiam dependebit in occupando distinctum locum. Juvatur etiam hoc aliquibus exemplis: nam corpus Christi modo indivisibili assistens speciebus, si dividantur illæ species, assistit in parte distantia, ubi species divisa ponitur, et non in corpore intermedio. Item si anima rationalis, ut supra diximus, posset de suo corpore migrare in aliud, immediate informaret illud, etiamsi esset distans, non informando prius corpora intermedia: ergo similiter Angelus poterit uniri corpori distantia, non informative, sed active, non uniendo se ut agens corpori intermedio, quia non utitur corpore intermedio tamquam passo ex quo operationem eliciat.

XVIII. Quare tota intelligentia hujus motus discreti sine medio reducitur ad hoc, quod intelligamus motum Angeli non esse primo, et per se motum localem acquirentem distantiam vel propinquitatem, ut supra jam diximus, sed quod primo, et per se est unitivus virtutis operativæ Angeli ad passum, respectu cuius Angelus est forma activa superior independens ab omni commensuratione, distantia, vel extensione passi: et habet pro materia cui potest conjungi ad operandum quodcumque corpus ab eo mobile. Et ideo in toto universo potest se applicare, et conjungere cuicumque corpori voluerit sine dependentia ab eo, quod deserit, vel a spatio quod deserit; et ideo potest sine hoc quod uniatur, et operetur ex corporibus intermediis incipere operationem suam a corpore distantia, quia Angelus non vincit distantiam per remotionem vel propinquitatem spatii, sed per unionem, et applicationem suæ virtutis, et operationis

ad passum, ex quo vult operari, sive in ratione distantia sit ei propinquum, sive remotum: hoc enim ipsi Angelo ut agenti per accidens est sicut in exemplo de anima nostra in informando diversa corpora, et non intermedia, manifestatur.

Quod si Angelus præternaturaliter ponatur in loco, non per operationem, sed per passionem, seu contactum passivum, multo melius potest intelligi, quod Angelus moveatur non transeundo per medium, quia potest ab alio Angelo, vel a Deo alligari ad aliquod corpus, v. g. ad ignem inferni, non alligando illum corpori intermedio, v. g. terræ vel aquæ: et sic contactus ejus passivus immediate potest esse ad aliquid distans, et non intermedia, quia id fit virtute divina.

XIX. Ex dictis colliges, quomodo tempus Angeli componatur, et sit distinctum, et independens a tempore nostro, nec illi simile, sicut neque motus ejus, cum spiritualis sit, non est similis motui nostro, ut S. Thomas advertit in hac quæstione LIII, a. III, loquendo tam de tempore, et motu continuo, quam de discreto: constat autem quod tempus est numerus, et mensura motus secundum durationem, et qualis fuerit motus, tale erit tempus. Motus autem Angeli non constat partibus, quia est operatio indivisibilis, sed componitur ex pluralitate operationum, quarum quælibet in se est indivisibilis, et ideo vocatur instans. Neque motus iste ordinatur primo, et per se ad vincendam distantiam spatii, sed ad conjungendum se per modum formæ activæ alicui corpori, cui per accidens est quod sit distans vel propinquum; et ideo neque tempus ejus proprie, et directe habet velocitatem, et tarditatem in transeundo: nam, ut bene advertit S. Thomas in hac quæstione LIII, a. III ad 1: « Velocitas motus Angeli non

est secundum quantitatem suæ virtutis, sed secundum determinationem suæ voluntatis. » Et sic immediate proportionantur Angelus, et corpus in ratione moventis, et mobilis, sed solum ratione magnitudinis, in qua fit motus: Angelus enim juxta suam voluntatem applicat se ubi vult, et quomodo vult, et inde sumitur velocitas durationis sui motus, non ex quantitate virtutis vincens distantiam spatii, aut resistantiam mobilis, quæ doctrina D. Thomæ valde notabilis est pro hujus rei explicatione. Igitur tempus discretum Angeli est illa duratio, quæ componitur ex pluribus instantibus, seu operationibus, quarum una sequitur post aliam ex parte Angeli sic elicientis illas, sed tamen ex parte effectuum quos faciunt, non continuantur immediate, neque per immediatas partes alicujus spatii applicant Angelum. Motus autem continuus Angeli differt ex parte effectuum, quos per suam operationem seu motum Angelus facit, quia operatur effectus immediate se habentes, seu in partibus immediatis spatii se continuantes, et Angeli præsentiam illis unientes. Istæ autem operationes Angeli indivisibiles sunt in se, quia non sunt operationes procedentes de potentia ad actum, et per partes successivas procedentes, sed sunt actus perfecti; sed quia successione carent, vocantur instantia, non tamen est necesse quod respondeant unico instanti nostri temporis, quod est ex omni parte indivisibile tam formaliter, quam virtualiter, sed possunt durare secundum correspondentiam ad multum tempus nostrum, ut si Angelus perseveret uno die in sua operatione indivisibili sine aliqua ejus mutatione vel successione partium. Unde talia instantia seu operationes, quæ ut procedunt ab Angelo, sunt indivisibiles formaliter, dicuntur virtua-

liter divisibiles, quia æquivalent, et correspondent durationi indivisibili nostri temporis, quamdiu Angelus vult illam operationem durare.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XX. Primo arguitur: Nam anima rationalis non potest informare partem extremam corporis, non informando intermediam: ergo neque Angelus agere et transire ad extremam partem prius quam ad mediam: quia sicut anima se habet in informando, ita Angelus in agendo.

Confirmatur, quia Angelus non est infinitæ virtutis: ergo non potest in quocumque spatio remoto se collocare non transeundo per medium: alias posset etiam in loco infinite distantia se collocare, quia si semel non obstat distantia media, neque ab illa dependet in acquirendo locum, a nulla dependebit: ergo potest in infinitum se collocare in aliquo loco distantia.

Confirmatur secundo, quia D. Thomas in hac quæstione LIII, art. II, ponens secundum argumentum, quod anima potest sua cogitatione transire de uno extremo ad aliud sine medio: ergo et Angelus poterit sic moveri, respondet non esse simile, quia Angelus dum movetur applicat suam substantiam diversis locis; anima autem non applicatur rebus quas cogitat, sed potius res applicat ad se. Ergo sentit D. Thomas, quod Angelus non transit motu locali de extremo ad extremum sine medio, sicut potest transire cogitatio animæ.

Respondetur esse disparem rationem inter Angelum, et animam, quia anima est forma corporis, et existit in illo solum informando. Ut autem informet unum corpus non transeundo ad aliud, dependet a di-